

KNY-18-00571

16

SAECULARIS MEMORIA
SACRAE IMAGINIS
BEATISSIMAE
VIRGINIS MARIAE

qua e

Anno 1697 die 17ma Mensis Martii
in Cathedrali Laurinensi Ecclesia prodigio-
sis, mixtisque sanguini lacrimis immaduit.

Qua occasione

hungarico idiomate pro concione dixit
ANTONIUS MAJLÁTH de SZÉKHELY
Abbas S. Benedicti de Börchi, Praepositus
SS. Salvatoris de Pápotz, Cathedralis Ecclesiae
Laurinensis Canonicus, plurium in Hungaria
Comitatuum, et Sacri Consistorii Assessor,

O r a t i o

ab ipso Auctore ex Hungarico in Latinum
conuersa,



LAURINI,
TYPIS JOSEPHI STREIBIG.

1800.

KNY-18-00571



Lectori Benevolo.

Celebrata est mense Martio, anni 1797. Iau-
rinensi in vrbe, et in eiusdem vrbis Cathe-
drali Ecclesia saecularis solemnitas, ac memo-
ria Marianae cuiusdam imaginis, quae ante
annos centum, seu anno 1697. sanguineum su-
dorem fudit. Saecularis haec solemnitas fecit,
vt Wielandus nouellis suis, quas sub nomine
noui Germanici Mercurii scribit, Weimariae,
ac Lipsiae impressis sequentia insereret: „In
„Hungaria, inquit, rursus erigere caput in-
„cipit vetus barbaries, et fanaticus Religio-
„nis furor. Iaurinensi in vrbe, mense Mar-
„tio, aliqua e Dominicis die, quoddam Fe-
„stum, recenter e furno protractum, celebra-
„tum fuit. Ante circiter centum annos, re-
„volutionis tempore, quidam Sacerdotum ex
„Anglia Iaurinum profugit, beneficium isthic
„non mediocre consecutus. Tulit ille secum

„Marianam Imaginem ex Anglia , in cuius
„genis, quaedam maculae, quasi guttae san-
„guinis detectae sunt. Nunc primum haec
„traditio conficta fuit, tanquam haec MA-
„RIA Virgo revera ante centum annos, id-
„que in quadragesima sanguine imbuta fuis-
„set. Iaurinensis Episcopus Iosephus Fengler,
„vhus e Iosephinis, volebat imaginem e Ca-
„thedrali Templo, in quo eadem afferuatur,
„amouere, ne populus ampliorem occasionem
„haberet id genus superstitiones usurpandi :
„sed ei vitae discrimin intentabatur. Ille au-
„tem, si ita est, circumducatur, inquit. Et
„ecce aduenerunt duo Episcopi, Vesprimien-
„sis octoginta annorum, et Sabariensis, qui
„imaginem magna cum supplicatione circum-
„duxerunt. Iaurinensis Episcopus non aderat
„pedum dolore impeditus. Etiam in studio ,
„inquit, homines ad fidem conuertendi , vt
„olim , mille adhibentur artes ; ipsis in pla-
„teis infantes, ac derelicti paruuli praeda
„sunt.“ Subiicio Germanicum exemplar ipsius
Wielandi, ne quis existimet, a me ista conficta
fuisse, non ab eo scripta.

Ne u-

Neuer deutscher Merkur.

8. Stücke 1797.

Herausgegeben, von C. M. Wieland.

Weimar, und Leipzig.

Seite: 376. Schreiben aus Ungarn im May, 1797.

In Ungarn gewinnt wieder Alles, das Ansehen alter Barbaren, und fanatischer Religionsschwärmeren. An einem Sonntage im März wurde zu Raab ein ganz neugebackenes Fest mit Aufzug der Bürgerschäfte und aller christkatholischer Seelen gefeiert. Vor etwa hundert Jahren ist aus England zur Zeit der Revolution ein katholischer Priester nach Raab entlaufen, der daselbst eine ziemlich gute Pfründe erhielt. Er hatte ein Marienbild mit sich aus England gebracht, an dessen Wangen einige Flecken wie Blutstropfen entdeckt wurden. Nun fingirte man jetzt erst die Tradition, als hätte diese Maria wirklich vor hundert Jahren gerade in der Fasten Blut geschwitzt. Der Raaber Bischof, Joseph Fengler, ein Josefiner, wollte das Bild aus den Dom, wo es aufgestellt war, wegnehmen lassen, um den Volke nicht noch mehr Gelegenheit zu solchen Abergläubten zu verschaffen. Man bedrohte aber sein Leben. „Wenn es so ist, sagte er, so soll es herumgetragen werden.“ Und nun kamen ein Paar Bischöffe, der Weßprimer, achtzig Jahr alt, und der Steinaagramer *) die das Bild mit grosser Prozession herumtrugen.

gen. Der Raaber Bischof entfernte sich, wegen Beinschmerzen! Auch in der Befehlungssucht nimmt man, wie vor Alters, tausend Künste vor, und raubt sogar unmündige, verlassene Kinder auf der Gasse.

Quod Wielandus suis nouellis de hac solennitate inseruit, ante duos circiter menses communicauit mecum quidam amicorum meorum alibi degens, vir idem eruditus, atque egregie doctus. Obstupui fateor, dum ea legi, statimque decreui, dictionem, quam anno 1797. occasione laudatae solennitatis Hungarico idiomate habui, in Latinum idioma conuertere, ut ad manus Wielandi peruenire possit, et ille occasionem habeat cognoscendi veritatem, et quae temere in chartam coniecit, cum laude retractandi. Quodsi autem oculos veritati pertinaciter claudere voluerit, legat ea, quae prima orationis parte de facti veritate a me dicta sunt; experiatur ingenii sui vires, et ea refellat; si autem id efficere non potuerit, ut profecto non efficiet, cesset tam illustre Regnum, quale est Hungariae Regnum de barbarie, de fanatismo, de superstitionibus argue-

re,

*) Sollte h̄issen: von Stein am Ager.

re, nec dubitet se, et omnem Weimariam longe infra multorum Hungarorum eruditionem esse. Certe illa, quae dicto Mercurio inserta sunt; ut vetus in Hungaria barbaries, Religionis fanatismus, festum recenter e fурно protractum, a cultiore humanitate longe seiuncta sunt. Sed si ad alia Wielandi opuscula, infelici partu ab eo in lucem edita, scurrilium, et obscoenarum rerum plena mentem advertam, non miror, ita eum scripsisse; scurrilis enim, atque obscoena lingua nunquam petulantior est, quam dum Catholicae Religioni insultat.

At quod eruditus Vir, qualis Wielandus esse cupit, tam breui scripto tot falsa inseruerit, illud satis mirari non possum. Profecto, si caetera quoque, quae dicto Mercurio continentur, ita sine delectu, et sine cura veritatis scripta sunt, merito pecuniae poenitere omnes illos possit, qui has nouellas emunt. Falsum est, quod dicit: quoddam festum recenter e fурно protractum; nam ab anno 1697, quo mirum illum cruorem haec imago fudit, singulis annis, nunquam intermissa serie, anniversarius huius prodigii dies, in hac eadem Cathe-

drali Iaurinensi Ecclesia festo apparatu celebratus fuit. Numquid centenaria, stabilisque solemnitas est festum recenter e furno protractum? Falsum est ante annos circiter centum Sacerdotem quendam: non enim erat Sacerdos, sed Episcopus Clomfortensis: profugisse; non enim profugit: profugere solent malefactores non egregii viri, qui aut fidei, aut virtutis causa in exilium eiiciuntur. Illud autem: ante annos circiter centum, ex ignorantia veri scriptum est; quidquid autem e tali ignorantia scribitur, temere scribitur. Longe ante centum annos id accidit, cum dictus Episcopus iam anno 1655. in numerum Canonicorum Iaurinensium relatus fuerit. Neque Anglus ille fuit, ut asserit Wielandus, sed Hibernus; neque ex Anglia hanc ille imaginem secum attulit, verum ex Hibernia. Falsum est, in huius allatae imaginis genis, aliquas maculas, quasi guttas sanguinis detectas fuisse. Has enim fudit, iam in Iaurinensi Ecclesia collocata imago, anno 1697. iam post mortem Episcopi Clomfortensis, qui eam attulit anno 1663. defuncti, et qui duobus, et quadraginta annis ante patratum

tum prodigium Iaurinum advenit. Falsum
 est hanc traditionem nunc primum confictam
 fuisse; nam solemnitas, quae a centum annis
 agitur, nunc primum conficta dici non potest;
 quamquam bonus vir non videatur scire quid
 sit traditio, ac propterea, ut in prioribus, ita
 hic etiam ex ignoratione loquitur. Si calumnia-
 ri volebat Wielandus, dicere debuerat: pro-
 digiosas has lacrimas nunc primum confictas
 fuisse, non autem ipsam traditionem. Nec scio,
 cur ab eo illud additum sit: hanc imaginem re-
 cte in quadragesima sanguinem fudisse, quasi id
 recte in quadragesima fieri debuisset. Non su-
 mus ita nescii, ut existimemus prodigiis cer-
 tum aliquod tempus assignandum esse, quo fie-
 ri debeant, quae a solo Omnipotentis DEI
 beneplacito pendent. Sanguine haec imago im-
 maduit die 17ma Mensis Martii, qui dies in
 quadragesimam incidere solet; cur? quia tunc
 id fieri Domino DEO placuit. Falsum est Epi-
 scopum Iaurinensem Iosephum Fengler volui-
 se imaginem e Cathedrali Templo auferri cu-
 rare. Quando enim id voluit? cui hanc suam
 voluntatem aperuit? verbone? an scripto? si


scripto : exhibeatur illud : si verbo : dicatur
cui ? vel quibus ? Falsum est Laurinensi Epi-
scopo vitae discriminem intentatum fuisse. Vbi
enim ? a quo ? vel a quibus ? Quid aget Wiel-
landus, si ad haec omnia respondere debuerit ?
Sentiet , aliud esse temere quid scribere , et
aliud, quod temere scriptum fuit, probare pos-
se. Quid autem id sibi vult , quod idem in
suo Mercurio addit , Iosephus Fengler unus
e Iosephinis. Quid illud ? unus e Iosephinis ?
num est aliquod hos inter , ac caeteros Epi-
scopos discriminem ? Vel enim idem erat Catho-
licae fidei studium in Iosephinis Episcopis ,
ac in aliis, vel non erat ? Si idem erat, quid
opus fuit addere unus e Iosephinis ? Idem au-
tem non fuisse in utrisque Catholicae fidei
studium, ut dicere non vereatur emitius no-
uellarum, scriptor, et omnes a Iosepho Cae-
fare nominatos Episcopos, ipsumque Iose-
phum summum Imperantem tam indigna ca-
lumnia afficiat, temeritas est non ferenda. Quid
quod idem Wielandus , dum laudare pro sua
cogitandi ratione , satis iam in aliis opuscu-
lis manifestata, Episcopum Laurinensem cupit ,
tur-

turpissimam eidem notam inurat Episcopi pro
veritate mortem subire formidantis, et potius
in grauissimam DEI Offensam consentientis.
Ait enim: volebat Iaurinensis Episcopus e Ca-
thedrali Templo, in quo imago exposita fuit,
eam auferri curare, ne populus ampliorem oc-
casionem haberet eiusmodi superstitiones vsur-
pandi; sed vitae discrimin intentabatur. Ille
autem, id est Episcopus: si ita est, circum-
ducatur, inquit. Quasi diceret; cultus huius
imaginis impius est, ac supersticiosus; sed quia
mortem timeo, indulgeo impietatem, ac su-
perstitionem: circumducatur. Huc tandem e-
uadit impotens calumniandi lubido, ut quid
scribat, ne animaduertat quidem. Nisi forte
suo pede mensus est alios Wielandus, qui pro-
fecto pro Augustana Confessione, quam vulgi
causa profitetur, vitam in discrimin vix ob-
liceret. Sed ille de Catholico Episcopo aliter
existimare debuisset, maxime visis τοι Galli-
canorum Episcoporum exemplis, qui Patriae,
fortunarum, ipsiusque vitae iacturam facere
maluerunt, quam in aliquid consentire, quod
DEO, ac fidei Catholicae aduersum esset.

Fal-

Falsum est supplicationi adfuisse Veszprimiensem, ac Sabariensem Episcopos, quorum neuter eo tempore Laurini vel visus est; quem postremum turpi cum ignorantione vocat der Steinaagramer Bischof, cum scribere debuisse der Bischof von Stein am Anger, sic enim germanico idiomate vocatur Sabaria. Veszprimensem anno 1797. octogenarium facit, iterum contra veritatem; erat enim tunc ille septuagenario maior, sed nondum annorum octoginta Fecisset ad minus, quod cauti, prudentesque Scriptores faciunt, cum veram aetatem ignorant, et circiter, aut prope octogenarium nominasset. Denique malitiosa, et plena calumniae falsitas est, Laurinensi in urbe proles violenter abripi, ut fide Catholica imbuantur. Si operae pretium esset, ut scriptum ita absque omni delectu concinnatum, totque falsis rebus scatens confutetur, posset haec calumnia, et urbis, et totius Laurinensis Prouinciae testimonio falsitatis reuinci; sed vere dignum non est, vel ut confutetur. Haec interim sufficient. Fors in posterum ictus Placator sapiet.

Pec-



*Peccator videbit, et irascetur: dentibus suis
fremet, et tabescet: desiderium peccato-
rum peribit. Ps. III.*

Quod in iustas, timentesque
DEVM animas, idem saepen-
mero in Diuos, Diuorumque cul-
tum molitur impietas. Illa dum
iustorum felicitatem intuetur: dum
videt iustorum domos gloria, at-
que diuitiis communiri, exorna-
rique; dum audit potens in ter-
ra futurum iustorum semen, to-
tamque DEVM timentium homi-
num generationem benedicendam:
iustorum denique cornu in gloria
ex-

exaltandum; enim uero incredibili ira inflammatur, ita ut dentibus miserrime infremat, vsque dum frustrata videns sua iustis nocendi desideria pae doloris magnitudine contabescat.

Idem est in Diuos etiam, Diuorumque cultum impietatis furor. Quem ut cultum tollant nefarii homines, aut quantum fieri potest, ut imminuant, omnibus artibus, omnique ope connituntur. Nam cum ipsi pessimi sint, omniumque scelerum turpitudine coperti, pessime oderunt homines sanctitatis laude conspicuos, molestissimeque ferunt coli Sanctos pietatis, virtutumque merito, tanquam Diuorum Sanctimonia perpetua esset impiorum hominum condemnatio.

Hunc

Hunc impietatis furorem experiri ista etiam Beatissima Virgo debuit, quam in hac eius Imagine integro iam saeculo non interrupta pietate veneramur. Illa vno abhinc saeculo prodigioso cruore manauit. Non poterat in dubium reuocari facti veritas, cui luculentissimum totius Ciuitatis oculi testimonium perhibebant. Inde publica, et peculiari, et mirae cuidam fiduciae coniuncta pietate coli haec Imago caepit, ac prodigii fama late, longeque diffundi. Vedit hanc Virginis gloriam, hanc lucem admirabilis prodigii impietas, et indignata ringebatur, dentibusque fremebat; sed cum vidisset frusfra esse aduersus cultum Diuae huius Virginis cuncta sua molimina, contabuit, contabescitque in hanc diem, periisse dolens nefaria sua desideria,

ria, piumque populum veluti recens esset, planeque viuida prodigiosi facti memoria, pari nunc etiam in hanc Imaginem tenerimi sensus, ac fiduciae ardore ferri.

Hodie centum anni effluxerunt, quod sacra haec Imago sanguineo sudore immaduit, et hodie plena est ingens haec Basilica vndantis populi multitudine, qui ad hodiernae diei celebritatem vndique confluxit, testaturus suum in MARIAM studium plenum incensi amoris, ac fiduciae, quam in potenti Diuae huius Virginis patrocinio repositam vniuersi, et optime collocatam esse arbitrantur. Est iste, est praeclarus, et immortalis verae fidei triumphus, quae sibi semper constans a praeclare caeptis nulla temporum varietate, nullis impiorum conatus auocatur.

De

27

De hoc ego Sanctissimae nostrae fidei triumpho , Virginisque DEI Parentis gloria hodierna die mihi dicendum esse video, dicamque adiuuante Domino ita , vt et fidei nostrae in hoc Beatissimae Virginis cultu triumphus, et ipsius Beatissimae Virginis ex hoc fidei triumpho gloria illustrius resplendent; vtque ora impiorum hominum conticescant , aduersus hoc prodigium , perennemque Diuiniae Virginis cultum obnixe omnia molientium ; vt demum fidelis populi pietas nouis stimulis acuat, nouis accessionibus augeatur.

Quod vt obtineam , duo mihi efficienda sunt , vt et incredulis conuincendis, ac si fieri possit ad saniorem mentem reducendis , et fidelis populi solatio, atque utilitati oratio mea deseruiat. Ut increduli vel inuiti fateri cogantur,

B

iu-

iuustum, ac prudentem esse cultum,
quem huic sudanti sanguinem I-
magini impendimus; vt fidelis po-
pulus intelligat, vtilem, ac salu-
tarem esse cultum, quem huic I-
magini impendimus, et si prodi-
giosum cruento nunquam illa fu-
disset. Dicam igitur primo: pru-
dentem esse cultum, quem huic
Imagini propterea exhibemus,
quod miro illa sanguine imma-
duit; dicam deinde: prorsus sa-
lutarem esse huius Imaginis cul-
tum, et si nunquam illa sanguine
maduisset. De vtroque dicturum
pro vestro in DEI Matrem studio
peto, vt beneuole, atque attente
audiatis.

Semper iidem erant miraculo-
rum, qui verae fidei hostes; nec
facile acrioribus studiis quidquam

a-

aliud impugnatum ab iis fuit. Cum enim patratorum a Christo Domino miraculorum multitudinem , varietatem , splendorem , inuiti quidem , sed tamen admirabundi stupuissent : cum vidissent inde ab Apostolorum temporibus miraculorum ope Catholicam Religionem incredibili celeritate propagatam fuisse , ac longe diffusam : cum moesti animaduertissent , praeter vnam Catholicam Religionem nullam aliam seu Christianorum , seu gentilium sectam editis in eius confirmationem veris prodigiis gloriari vnam potuisse ; vt et admirabili Catholicae Religionis propagationi obsisterent , et lucem , quae in illam e prodigiis ingens , mirique splendoris deriuatur , obscurarent , miraculorum veritatem acerrime , omnique virium contentione impugnabant . Ita olim

egit Celsus Philosophus ; ita Cæsar Julianus Apostata : ita aliis temporibus alii : ita demum his postremis turba illa impiorum hominum , qui ad subruendam omnem fidem , omnemque probitatem ex hominum animis euel lendam toto impetu nefariae voluntatis incumbunt.

Facile quidem esset impia horum hominum aduersus miraculorum veritatem molimina protegere , quae iam olim Origenes , Iustinus Martyr , et vicinioribus temporibus doctissimi alii viri protulerunt . Neque enim est difficile aduersum illos depugnare , qui manifestam veritatem impugnant : nec firmum habet , vlla doctrina falsa fundamentum , cui stabili , firmoque pede innitatur . Sed quia apud illos verba facio , qui Catholicam Religionem sincero animo ,

mo, et absque vlla dubitatione complectuntur, et qui prodigiorum veritatem, vt eam vera fides credendam proponit, tota voluntate agnoscunt, non est necessarium, vt in confutatione impiae contra miraculorum veritatem doctrinae Oratio mea versetur.

Cum autem de prodigiis agimus, duo nobis solicite vitanda sunt, ne in errorem prouoluamur. Primum est nimia, facilisque credulitas: deinde vero incredulitas. Facile decipitur, quisquis facile credit; et facile incredulus in extremam impietatem präceps ruit. Cuius de grege homini somnianti cuique mulierculae credere, stultitia est non ferenda, präferatim cum de miraculis agitur, quae Diuina potentia prodigere nunquam solet. At ex aduerso nullis factis, nullis operibus, quamcun-

que probatis, quamcunque ad omnem certitudinis limam exactis fidem adhibere, verum omnia in dubium reuocare velle, res est extremae dementiae, et furentis impietatis.

Videamus igitur, num ita testatum, probatumque, ita ad omnem certitudinis limam exactum opus sit, mirae huius Imaginis sanguineus sudor. Sed antequam ad istud ostendendum aggredior, originem prius Sacrae huius Imaginis, et quando illa, quaque ratione in hanc Iaurinensem Vrbem aduenerit, quomodo in hac Sacra aede locum acceperit, paucis exhibebo. Non erit, opinor, ingrata narratio et illis, qui haec iam nouerunt, et illis, qui haec nondum cognouerunt. Gaudebunt illi, reuocari sibi in memoriam illa, quae de hac Imagine ali-

aliquando cum voluptate audierunt; isti autem perlubenter ea nunc primum audient, quae nunquam antea audierunt. Ac denique aequum est, ut illustria facta transmittantur ad memoriam posteriorum sempiternam:

Walterus Lyncaeus Clomfortensis in Hibernia Episcopus Clomfortensem regebat Ecclesiam difficillimis illis Cromwelli temporibus, quibus in Anglia, et Hibernia Catholici acerbissime vexabantur. Huic etiam Praesuli exilium obtigit, praeclera illa bonorum Episcoporum remuneratio. Ejectus e patria, et varias regiones inter mille, ut sit, aerumnas peruagatus, mira DEI prouidentia in Hungariam tandem evasit, et procul a patria in hac nostra vrbe consedit. Regebat ea tempestate Iaurinensem Ecclesiam prae-

stantis meriti Praeful Ioannes Püs-
kius, qui tantum virum, tantum-
que Antifitem, tam longe a pa-
tria DEI, veraeque fidei causa
extorrem et paterno amore com-
plexus est, et eundem quinto, et
quinquagesimo post millelimum
sexcentelimum anno Iaurinensem
Canonicum nominauit; qui exac-
tis in Iaurinensi maiorum Sacer-
dotum Collegio octo non amplius
annis, magna cum laude probi-
tatis, praeclaraeque virtutis vi-
tam beata morte commutauit.

Pius hic Praeful caeteris omni-
bus fortunae bonis verae fidei cau-
sa euersus, hanc secum Imaginem
ex Hibernia deportauit. Hic vnu-
erat Sancti Praefulis omnibus ex-
poliati theſaurus: hic indiuiduus
itinerum comes: hoc vnum in ca-
lamitatibus solatium, in pericu-
lis confugium. Ante hanc ille I-

ma-

maginem, quocunque loco constitisset, in genua prouolutus, miro ferore inflammatae pietatis orare quotidie: per hanc Virginem suas Omnipotenti Domino preces offerre: ita quemlibet diem inchoare: ita concludere: huic se, suaque omnia suppliciter commendare: idque et longingui sui itineris tempore, et Iaurinensium Canonicorum Collegio iam inseritus, nunquam intermissa sedulitate faciebat. Datum fuit et beatae memoriae tam egregii Antistitis, et honori Imaginis tam elongi-
guo isthuc allatae, vt ea post mortem Lyncae in Cathedrale istud Templum inferretur, affixa parieti pone Aram Diuae Annae, quo loco usque ad annum millesimum sexcentesimum, septimum, ac nonagesimum statione sua non dimota conquieuit.

B 5

Hic



Hic erat annus, qui septima decima die mensis Martii, qua die Beati Patricii Hibernorum Apostoli memoriam Catholica Romana Ecclesia colit, omnem populum Iaurinensis Ciuitatis admiratione, stuporeque compleuit. Mane post horam sextam, quo tempore ad audiendum sacrum Missae sacrificium multi e populo confluere solent, animaduersum a nonnullis fuit sacram hanc Imaginem sanguineis guttis immaduisse. Facile vna mecum existimare potestis Auditores, quis fuerit praesentium hominum, viso tam inusitato euentu sensus? quis sacer quidam horror? quae deinde pia laetitia? quae in Diuam Virginem pietas, ac fiducia? quae admiratio? Nec mora: vniuersi accurunt: mirantes in imaginem oculos intendunt: iterum, iterum-
que

que aspiciunt: prodigium vna voce , vna animorum consensione conclamat. Volat per urbem fama prodigii ; vidisses vndantem omnibus vicis populi multitudinem , anhelo cursu ad Templum properantem : impletur hominibus ingens haec Basilica ; in sacram Imaginem omnium oculi defixi sunt: hanc vnam videre, hanc proprius intueri pro se quisque contentuntur. Aduolant iuuenes ; adrepunt senes : adsunt viri, ac faeminae : sacri, et profani homines : adsunt magno numero ipsi Aca-tholici et Augustanae , et Heluetiae Confessionis : centeni, ac centeni oculi stillantem sanguinem intuentur.

Sed vt tam mirabilis facti veritas luculentior esset , illustrius que pateret, vt omnis prorsus dubitandi causa tolleretur , Sacer-

do-

dotalis Ordo a pariete , cui pen-
dens adhaerebat Imago illam re-
moueri iussit. Remouetur ; et
quamquam eo ipso tempore Ima-
go cruore madebat, siccus tamen
paries , atque albus inuentus est,
etsi Imago in simplici tela depicta
esset , nec haberet aliquod a ter-
go munimen. Auulsa pariete Ima-
go manibus Sacerdotum excipi-
tur , neque tamen stillare desuit.
At forte iugamento Imaginis ali-
quid continetur , quo absconditus
sanguis lateat , qui in Imaginem
destillet ? Igitur illa iugamento
eximitur , ad omnem fraudis vel
suspicionem longissime remouen-
dam. At etiam iugamento exem-
ta Imago imbui miro cruore non
cessat. Abstergitur semel , ac ite-
rum : detergitur saepius : imbuun-
tur cruore linteola ; sed nouus i-
terum sanguis exudat ita , vt in
vul-

vultum pueri IESV, quem suo si-
nu iacentem Virgo tenet, guttae
sacri cruoris defluxerint, et in
hanc vsque diem accuratius in I-
maginem intuenti sacra gutta in
vultu Diuini Infantis sese manife-
stet. Extat hodie dum pars vna
linteoli, quo mirus hic sanguis
detersus est, in Gazophilacio Ca-
thedralis huius Ecclesiae argenteo
limbo inclusa; extat pars alia in
nobili quadam domo sempiternum
patrati prodigii monumentum.
Tres integras horas perdurauit
admirabile factum, vidente, ad-
mirante, et laudes Omnipotenti
DEO, Diuinaeque Parenti inge-
minante tota Iaurinensis Populi
multitudine.

Aderat inter alios, omnium
quae fiebant, spectator, fama pro-
digii excitus Sigebertus ille Hei-
sterus, militaris Iaurini Guberna-
tor,

tor, notum bello nomen, et nihil minus, quam ad muliebriter, facileque credendum pronus. Sed difficile est militaribus etiam viris, et rarius in Diuina intuentibus ipsis oculis fidem abnegare, et iis euentibus, qui absque vlla doli vel suspicione ante oculos contigerunt. Is miraculi veritate totus in stuporem actus, et Diuinam in augenda Beatissimae Virginis MARIAE gloria potentiam, tam illustri exemplo approbatam deueneratus, nihil antiquius habuit, quam vt suam in DEVUM pietatem, ac fidem: suam in DEI Matrem venerationem conspicuo aliquo opere testaretur. Itaque suis sumtibus Aram erigi iussit, praelaram pro more illorum temporum, in qua Sacra haec Imago locum obtineret. Et obtainuit illa locum in hac Ara, in eaque usque

que ad annum septimum , ac se-
xagesimum supra millesimum se-
ptingentesimum acquieuit, quo an-
no hoc, quod videmus altare au-
ro , marmoreque diues in locum
Heisteriani erectum fuit , munifi-
centia immortalis memoriae Co-
mitis Francisci Zichii Episcopi Iau-
rinensis. Octo, ac decem post an-
nis a patrato prodigo , idem Si-
gehertus Comes Heisterus mille
quingentorum florenorum aes do-
no dedit , vt ex annuo huius pe-
cuniae fructu, singulis per annum
Sabbathinis diebus , per uigiliis i-
tem, Festisque Diuinae Matris con-
centu musico Marianae laudes de-
promerentur. Extat authenticum
huius Donationis instrumentum in
Archiuo Capituli Iaurinensis, quod
in paribus hic subiicio , magnam
iis, quae a me dicta fuere, lu-
cem

cem additurum. *) Addo aliud non minus luculentum prodigiosi huius fletus testimonium, ex authentico Sodalitatis Beatae Virginis ab Angelo salutatae Diario de-

prom-

*) Nos Sacri Romani Imperii Comes Sibertus ab Heister, Sacratissimae Caesareae, Regiaeque Meiestatis Generalis Campi Mareschallus, vnius Regiminis pedestris Ordinis Colonellus, Generalatus Iaurinensis Supremus Gubernator, prælibatae Suae Maiestatis Sacratissimae Intimus Consiliarius, et Camerarius ab una; nec non Capitulum Ecclesiae Iaurinensis ab altera Partibus. Ab utrinque oneribus, et grauaminibus quibuslibet, Nos quidem Comes ab Heister, Charissimae Dominae Conthoralis Aloysiae Comitissae ab Heisterin, natae Comitissae de Caccianerin: ita etiam vniuersorum Haeredum, et Posterorum, Fratrum item, Consanguineorum, Legatariorum, ac Successorum nostrorum, quos videlicet infra scriptum tangeret, et concerneret, tangereque, et concernere quomodolibet ad præsens, vel in futurum posset negotium. Nos vero Capitulum Ecclesiae Iaurinensis Vniuersorum consimiliter moder-

promtum , in quo dictae Sodali-
tatis eo tempore Praeses Michael
Dunmer , qui Iaurini viuebat, ac
rebus, quae fiebant, aderat, ad
diem 17mam Martii anni 1697.

haec

dernorum , ita et futuris , temporibus ,
ac perpetuis nobis succedentium Domi-
norum huius Ecclesiae nostrae Canonico-
rum, in quos nempe onus praesentis ne-
gotii , et obligationis rite , et inevitabi-
liter condescensurum fore; Memoriae
commendamus tenore praesentium signi-
ficantes quibus expedit, vniuersis ; et im-
primis quidem quod nos Comes ab Hei-
ster ex innata , Diuinitusque nobis Cle-
menter elargita pietate , Zeloque , et
cultu erga Deiparam Beatissimam Vir-
ginem MARIAM obseruari solito , Ima-
ginem eiusdem Clementissimae Virginis ,
hic in Cathedrali Ecclesia Iaurinensi an-
te octodecim annos , scilicet Anno 1697 ,
die vero 17ma Martii miraculose guttas
quasi sanguineas , praesente magna mul-
titudine populi utriusque Nationis , atque
religionis , tam Catholicorum , quam et
Lutheranorum , et Caluinistarum sudan-
tem debita cupiens prosequi veneratio-
ne, in maiorem cultus eiusdem Beatissi-

C

mae

haec adnotauit: Mane hora 9na
Sacrum Cantatum: a prandiis in
Congregatione Exhortatio, et Ly-
taniae in Templo. Hac die Imago
B. Virginis in Cathedrali Ecclesia
in-

mae Virginis promotionem, et augmen-
tationem subsequentem eatenus ordinauer-
imus, fecerimusque in praescripta Ec-
clesia Iaurinensi amodo in posterum per-
petuis semper temporibus incessanter, et
immutabiliter duraturam Fundationem;
eumque in finem certos mille quingen-
tos florenos Rhenenses ordinauerimus, et
deputauerimus tali cum declaratione, et
obseruatione; vt nimirum virtute huiusc
Fundationis, pro secundanda, et effe-
ctuanda pia intentione, et voluntate no-
stra, non tantum moderno rerum statu,
verum etiam pacatioribus temporibus
semper, et in perpetuum, sine vlla mu-
tatione, et interruptione in praescripta
Cathedrali Ecclesia Iaurinensi, coram
praerepetita Imagine Miraculosa Beatissi-
mae Virginis Matris MARIAE, eius-
demque Festiuitatibus, horis pomeri-
dianis continuetur, videlicet, vt supra
specificatis diebus Sabbathinis, Vigiliis
Beatissimae Virginis MARIAE, ac eius-
dem

incepit vbertim flere. Acta haec
in Bibliotheca Regii Iaurinensis
Gymnasi conseruantur.

Hic ego turbam illam incre-
dulorum hominum adesse cupio,

C 2 qui

dem Beatissimae Virginis Festiuitatibus
horis pomeridianis Litaniae Lauretanae
per Musicos Venerabilis Capituli cum ex-
positione Venerabilis Sacramenti in Su-
praspecificato Altari Beatissimae Virgi-
nis decantentur; et pro certiori eiusdem
effectuatione annuale sex per centum in-
teresse praespecificatorum mille quin-
gentorum florenorum Rhenenium, quo-
uis anno nonaginta florenos constituens
alias per nos, sed et Haeredes, ac Po-
steros nostros futuris perpetuis tempori-
bus, annuatim semper, et quidem anti-
cipato ad diem datarum praesentium abs-
que ullo defectu, erga solitam quietan-
tiam ad manus Venerabilis Capituli, vel
per idem deputandi administrandum, et
assignandum &c. &c. — — Reliqua,
velut ad praesens argumentum minus fa-
cientia praetermittere visum est; In iis
datur ius Capitulo in casum seu Capita-
lis, seu interusurii non persoluendi, ad
summas has via breuissima, et non ob-
stan-

qui miraculorum splendori, quibus
Catholica fides ad inuidiam o-
mnium sectarum effulget, tene-
bras inducere, illaque in dubium
vocare omni ope, viribusque con-
ten-

*stantibus quibuscumque iuris remediis e
Bonis Heisterianis procurandas. Capitu-
lum autem sese obligat ad intentionem
Fundatoris in perpetuum rite implendum.
Tum subditur. Vnde nos ab utrinque ad
maiores praemissorum omnium fidem,
robur, et testimonium, eorundemque in
perpetuum obseruationem et effectua-
tionem praesentes literas nostras Fundatio-
nales, et contractuales, manuum sub-
scriptionibus, sigillisque nostris visuali-
bus, et authentico roboratas ad inuicem
dandas duximus, et concedendas, per
nos ambas partes pro futura cautela, et
obseruatione in aequalibus originalibus
habendas, tenendas, et conseruandas,
communi suadente iustitia. Datum Iauri-
ni die prima mensis Ianuarii anno Domini
1715.*

Sibertus Comes ab Heister (Sigillum)

Capitulum Iaurinense (Sigillum)

tendunt. Dicant homines isti, dicant, huic facto quid ad gloriam prodigii defuit? An si naturam perscrutemur, omnemque naturae vim, talem aliquam reperturi sumus, ut depicta in rudi tela Imago sanguine manare possit? sed fraus aliqua forte intercessit? quae illa? quo loco? in pariete? in quo nullum rimae, nullum foraminis vestigium, et qui imbuta iam cruento Imagine, et siccus, et albus permanfit. An in iugamento fraus aliqua inclusa fuit? quando etiam iugamento exemta Imago cruento tingi non desiit? An caeca fuit omnis illa populi multitudo, quae prodigio aderat? an caeci Augustanae, et Helueticae Confessionis homines, e quibus miraculi veritate in stuporem acti plures ad Catholica sacra transierunt? an caeci conspicua nobili-

tate viri, qui haec spectarunt? an coecus Sigebertus ille Heisterus, aliquique militares viri, qui haec oculis ipsi suis usurparunt? an coecus Sacerdotalis Ordo, qui sollicitate omnia, prudenterque procurauit, ne quid fraudis, ac doli delitesceret? an hi omnes facile creduli, quod sanguineum trium horarum sudorem, quem videbant, quem tangebant non abnegarent? an dementes hi fuere omnes, ac mente moti? Sed quis coecos, quis deinentes tot homines dicat, nisi coecus ipse sit, aut mente dimotus? Cui tandem humano facto credemus, si tam luculento fidem abnegamus?

Adeste itaque increduli, vos enim iterum appello, vos alioquor; adeste inquam, in medium aliquid tandem proferte, quod gestarum rerum fidem non dicam

euer-

euertere, sed vel imminuere pos-
sit. Nam proteruo tantum risu, aut
calumniis rem agere, et sola ve-
ritatis pernegatione, ut soletis,
aduersus contestatam certitudinem
depugnare velle, ridiculum est,
insanum est; et quod a cordatis
hominibus solo contemtu refutari
debeat. At enim nemo e nobis
prodigio aderat, cum illud patra-
tum fuit, nemo e nobis rem ge-
stam vidit. Miseret me horum ho-
minum, si tamen commiseratione
digni sunt, qui dum contra veri-
tatem sola malitia stimulante de-
pugnant, plane ridiculos sese fa-
ciunt; quali vero nihil a nobis
credi debeat, nisi quod nos ipsi
viderimus. Abnegemus itaque fi-
dem gestis omnium temporum;
quis enim e nobis aut veteres il-
los Graecos, aut Persas, aut Ma-
cedones, aut Romanos vidiit, quos

tamen extitisse non dubitamus ?
Abnegemus miracula Christi Do-
mini, quae videri a nobis non po-
tuerunt. Taedet me in re manife-
sta diutius immorari. Vnum ta-
men est, quod hoc in genere pree-
terire nullo modo possum : turpis-
simam nimirum illam, et virulen-
tae malitia plenam incredulorum
agendi consuetudinem , qui cui-
cunque de triuio scriptori, et vni-
co lubentissime assentiuntur, si con-
tra veram fidem, probitatem, Ca-
tholicam Ecclesiam : si contra Sa-
cerdotium calumnias congerat, et
fabellas temere confutas, nec ullo
modo comprobatas ; rebus autem,
quae ad firmandam , ornandum
que Catholicam Religionem faci-
unt, et si manifestae sint, et omni,
quae in humanis rebus desidera-
ri potest , certitudine propositae ,
credere nullo pacto volunt. Vni-

Wol-

Woltairo mendaciorum in Historia parenti, et calumnianti scurrae creditur, et Vrbium, Regnorumque oculis, ac testimoniis fides denegatur.

Vetus illud est, ac saepe iam recoctum aduersus prodigia incredulorum molimen, cum dicunt: miracula Sacerdotum inuenta esse, ut hoc pacto diuitias accumulent, et in sua lucra piorum fidelium liberalitate abutantur. Quod dum iactant, duo praecipue intendunt, primum: ut rudiorem populum suapte suspicacem deludant, et in eo scintillam omnem pietatis sensim extinguant; alterum: idque vel maxime, ut Sacerdotibus, quos pessime oderunt, turpisimam auaritiae notam inurant. At ego fidenter ad testimonium totius Iaurinensis Ciuitatis prouoco, quis vnquam vel audiuit

a Maioribus, vel ipse animaduer-
tit, propterea, vt Diuae huius Vir-
ginis cultus augeretur, vt prodi-
gii fama perduraret, atqne efflo-
resceret, vel minimum pecuniae
aut petitum vnquam fuisse, aut
acceptum? Adsit, qui istud affir-
mare non erubescat, et totius Vr-
bis voce calumniae reuincetur.
Non quaeſiti lucri, ſed cuiusdam
prope obliuionis incuſandi forent
Maiores nostri, ita non maximam
ſollicitudinem in iis reperio, ad
Beatissimae Virginis, quae in hac
Imagine colitur, venerationem
prouehendam. Posteaquam Sacra
haec Imago mirum illum cruo-
rem fudit: posteaquam in erecto
Sigeberti Comitis Heiferi ſumtibus
Altari collocata fuit, per octo, ac
decem annos nulla fuit certis tem-
poribus defixa eius colendi ratio,
nulli extabant hymni, qui gesta-
rum

rum rerum memoriam contine-
rent: nulla Sacra perpetua; vni-
ca, quot annis, anniuersaria dies
solemnis habebatur; primus Hei-
sterus pomeridianum illud pieta-
tis genus, cuius supra meminimus,
instituit: tum nostra primum me-
moria piissimus ille Laurinensium
Praesul Franciscus e Comitibus
Zichy pro suo in DEI, Virginis-
que DEI Matris gloriam studio
certam pecuniae vim contulit, vt
ad Aram Diuae huius Virginis
stata hora quotidie Sacerdos O-
mnipotenti DEO litaret, eoque
tempore Mariana Corolla a pre-
sentibus recitaretur. Ut profecto
tota haec populi a saeculo nun-
quam intermissa pietas, et in Be-
atissimam DEI Parentem fiducia
non hominum conatibus, sed uni
gloriam Sanctissimae Virginis pro-
vehere cupienti Diuinae prouiden-
tiae

tiae adscribenda sit, et in acceptis referenda.

Vnum adhuc est, in quo incredulitas impiorum hominum, velut in vltima naufragii tabula adhaerescit. Nullum est opus inquiunt, cui certus aliquis finis praestitutus non sit. Cruore manauit haec Imago; quem in finem? interrogant, quae est huius tam miri euentus causa? quid Diuina prouidentia hoc prodigio intendebat? haec nescimus, inquiunt, itaque tenendum est, eam prodigioso cruento non maduisse. Quam miserum est malae causae quodcunque patrocinium! sacro Imaginem cruento immaduisse explorata res est; sed quia finem huius euentus, causamque non peruidemus, abnegandus est euentus. O singularem, infandamque horum hominum dementiam!

Quis

Quis est , qui omnium , quae Diuinae potentiae patrare placuit miraculorum fines, et causas peruidere possit ? non est hoc aut humani intellectus , aut humana- rum virium opus ; res est non tolerandae temeritatis , peruidere velle vniuersos Diuinae Omnipotentiae fines. Quot sunt res a DEO conditae , quae ante ora nostra , oculosque versantur , quas quotidie intuemur , de quarum existentia dubitare non possumus , neque tamen fines assequimur , ob quos illae conditae sunt. Si in illis , quae ante nos posita sunt , adhaeremus , quae nostra est temeritas , dum prodigiorum fines , et causas peruestigare volumus , quae singularia sunt infinitae illius Maiestatis opera , de quibus illud rite usurpes : qui scrutator est Maiestatis opprimetur a gloria.

Cau-

Causam quaeritis o increduli
sanguinei fletus , quo sacra haec
Imago perfusa fuit ? facile illam
reperietis , si in vos ipsos , si in
vitae vestrae , morumque ratio-
nem oculos intendatis . Illa ve-
stra crima tam accumulata , tam
nefaria , quibus DEVM in iram
quotidie provocatis , illa vestra im-
pietas , qua ad subruendam ab
imo veram fidem incumbitis : ille
in vobis Sacrorum contemtus : il-
la vestra malitia , qua in Diuos ,
Diuorumque cultum depugnatis :
pessima illa vestra voluntas , qua
propria impietate non contenti bo-
nos , ac verae fidei , virtutique
addictos homines , a diuino cul-
tu , a morum probitate auocare
contenditis : illa in vobis salutis
incuria , qua Tempa Omnipoten-
ti DEO consecrata vel non acce-
ditis , vel si etiam adeatis , illa
in

in theatra licentiae ac vestrae improbitatis conuertitis: illa vestra impudica vita, qua et ipsi alto faedissimarum voluptatum coeno immersi tabescitis, et sermonibus vestris turpisimis, exemplisque id agitis, vt deleta ex hominum animis verecundia, pudoreque, probi etiam, atque innocui homines a studio colendae castitatis auocentur: illa vestra proterua, qua Ecclesiae praecepta vilipenditis: illa demum (vt caetera praeteream) nefaria vestra molimina, quibus ad subuersionem Diuinorum, humanarumque legum, ad perturbandum rectum rerum ordinem, ad ea ex hominum animis euellenda, quae DEO, terraeque Principibus debentur, officia omni conatu insistitis, quam multae, et quam iustae sunt sanguinei sudoris causae?

Sed

Sed quid ego in his immo-
r? quando contra ipsa Christi
Seruatoris nostri prodigia tam a-
perta, tam luculenta et olim Iu-
dae?, et nunc pessimi Christiani
pugnare non verentur. Excitauit
a mortuis Lazarum Seruator Chri-
stus, excitauit iam quadridua-
num, iam sepultum, iam foeten-
tem. Aderat prodigo multa ho-
minum turba: sciebant mortuum:
viderunt sepultum: ad paucarum
vocum imperium *Lazare veni fo-*
ras, prodit e sepulchro Lazarus,
et quamquam infitis colligatus,
nouo miraculo progreditur. Non
poterat in dubium vocari facti
veritas: viuebat, ambulabat, man-
ducabat Lazarus, quem nemo vi-
lus et mortuum, et sepultum fu-
isse ignoraret. Tamen Iudeorum
impietas eo conatus omnes, et
studia conferebat, vt prodigium
vel

vel sileretur , vel in obliuionem tandem abiret. Itaque Lazarum spirans illud , et omni eloquentia facundius patrati miraculi testimoniūm interimere decreuerunt. Insani ! quasi qui suscitare mortuum potuit Christus, reddere vitam interemto non potuisset ?

At quae demum est causa, quod impii , atque increduli , in miracula , et ea potissimum , quibus Imagines Beatissimae Virginis MARIAE illustratae sunt , tanto , tamque acerbo furore exaeftuent ? Non alia maior AA , quam quod illi nostram in MARIAM Virginem pietatem , amorem , ac plenam fiduciae venerationem permoleste ferunt. Hanc illi pietatem , hos teneri in Diuam Virginem amoris sensus , hanc plenam fiduciae venerationem euulsam e cordibus nostris , et prorsus extinctam

D

vel-

vellent, non ignari, quamdiu tali pietate, tali amore, tali cum fiducia IESV Christi Matrem deuenerati fuerimus, Catholicam fidem nunquam in nobis extinguerendam. Hoc illos misere torquet, hoc excruciat, quod per diminutum, aut sublatum MARIAE cultum, ad extinguendam Catholicam Religionem, id quod maxime cuperent, grassari non possint. Nos itaque AA. tanto studiosius ad promouendum Diuinae huius, Optimaeque Virginis cultum incumbamus: illam inuocemus: illam veneremur: illi nos, nostraque omnia consecremus. Celebremus Sacram prodigiosi huius crux memoriam; narrent, quae audierunt, quae continentि serie a maioribus acceperunt, parentes prolibus, Magistri discipulis, senes iunioribus, ut memoria prodigiosi

si huius sanguinis in seram posteritatem transmittatur , neque vlla aetas de hoc facto tam praeclaro , tam miro , de hoc triumpho Diuinae Matris conticescat . Prudens est noster cultus , quem huic Imagini propterea exhibemus , quod sanguineo illa sudore immaduit . Prudens est , iterum repeto , noster hic cultus , quidquid contra moliantur increduli , quantumcunque impietas obluctetur . Videat maerentibus oculis , videat solemnem hanc miri crux , et saecularem memoriam incredulitas , videat festum hunc cultum , quo hanc Sacram Ima- ginem veneramur ; videat , inquam , et irascatur , et prae doloris magnitudine contabescat . Peccator videbit , et irascetur , dentibus suis fremet , et tabescet , desiderium peccatorum peribit .

Prudens est cultus, quem huic
Imagini propterea exhibemus ;
quod sanguineo illa sudore imma-
duit ; sed vna etiam salutaris est
cultus, quem in hac Imagine Di-
uinae Virgini exhibemus, et si nun-
quam illa sanguine maduisset.
Nam seu Diuinae huius Matris
magnitudinem, ac potentiam, seu
illius in nos bonitatem contemple-
mur , non potest non esse saluta-
ris ille cultus, quem MARIAE
exhibemus. Quae est Diuinae hu-
ius Virginis magnitudo ? quae po-
tentia ? quae potest par vtrique
Oratio inueniri ? Illa est ipsius Ec-
clesiae voce Regina Coelorum, il-
la est Angelorum Domina ; quam
S. Bernardi testimonio immensus
ille DEVS , velut quemdam Di-
uinarum gratiarum thesaurum, ve-
lut prodigium suae Omnipotentiae
in-

intuendam , colendamque proponit. Et certe prodigium fuit Diuinæ Omnipotentiae Beatissima Virgo MARIA, quae a communi labore originarii peccati, nulli alteri concessò fauore exemta, sancta iam in ipso conceptu fuit; quae ab Angelo in terris salutata, a Sancto Spiritu obumbrata, facta est Mater DEI, et inaudito exemplo, stupendoque omnibus saeculis miraculo, non violatae gloriam Virginitatis cum Matris foecunditate coniunxit. Virgo graduatur: Virgo parit: Virgo, quem peperit, lacte suo nutrit. Quid in his omnibus non insolitum? quid non admirabile? quid non prodigi plenum?

Ad Christianos, ad fideles loquor, qui haec tam magna, tam admiranda, tam supra humanae rationis captum posita certissima

fide propterea tenent, quod veris
fanae rationis principiis instituti,
ac edocti reuelanti DEO creden-
dum esse, haec omnia vera esse
Domino reuelante didicerunt.
Quanta, et quam felix Mater,
quae rerum omnium Conditorem
peperit, filiumque nominauit.
Illum Beatissima haec Virgo sinu
suo nouem ipsos menses conclu-
sum tenuit, qui nullis spatiis, nul-
lis limitibus continetur; illi mor-
talem hanc vitam dedit, qui est
fons aeternae vitae, qui vni-
uersis, qui Coeli, terraeque am-
bitu continentur, vitam impertit;
illum aluit, qui dat escam esurien-
tibus, potum fitientibus; illum
brachiis tenuit, qui tribus digitis
vniuersae telluris molem appen-
dit; illius infantiam rexit, cuius
nutu, ac prouidentia mundus gu-
bernatur. O res admirabiles, et sub-

mis-

missa piissimae mentis veneratio-
ne a nobis adorandas! Quid mi-
rum Beatissimam hanc Virginem,
posteaquam in Coelos assumta est,
ad dexteram Omnipotentis DEI
consedisse, in cuius vlnis ipse Coe-
li, terraeque Dominus aliquando
conquieuit? Quid mirum, hanc
Virginem gloria, et honore a DEO
coronatam, et supra Chorus An-
gelorum sublatam fuisse, quae An-
gelorum Dominum beato partu
effudit?

Quae dum ego affirmo, nolim
quis existimet, Beatissimam hanc
Virginem ad magnitudinem DEI
attolli, illamque cum Diuina O-
mnipotentia a nobis conferri. Lon-
ge illa a Diuina magnitudine dis-
iuncta est. Quis enim Creatorem
cum Creatura contendat? et illud,
quod finitum est, quod certis li-
mitibus circumscriptum, qualis

MARIA fuit, cum infinita, immensaque Maiestate? procul a nobis sit tam nefarius error; unus a nobis adoratur DEVS, nemo sanctorum, nec ipsa Mater DEI; his cultum tantummodo ex prescripto Catholicae Ecclesiae, atque venerationem praestamus. Sed quemadmodum magnitudo MARIAE cum Diuina magnitudine comparari nullo modo potest, ita reliquorum in Coelo Sanctorum gloria, atque dignitas cum gloria, cum dignitate Diuinæ Virginis venire in contentionem non potest.

Tanta cum sit Diuina haec Virgo, ad tantam a DEO gloriam, et dignitatem provecta, quale futurum existimamus eius patrocinium, et cuius efficacitatis, si preces illa suas pro nobis Omnipotenti DEO repraesentet? Asuerum quon-

quondam adiit, ut Sacrae Literae
commemorant, Regina Esther, o-
ratura Regem pro incolumitate
iudaici populi, quem grauissime
Amanus insectabatur, non quie-
turus ante, quam deletum, pla-
neque extinctum aspexisset. Vide-
te AA. qua benevolentia, quo a-
moris studio Estherem Coniugem
Asuerus accipiat? vrget, et ad
postulandum, quod libuerit, pera-
manter inuitat; ac ne dubitaret,
illud, quod apud Reges tenerri-
mi sensus est, addit: etiamsi di-
midium Regni petieris, dabo ti-
bi. Non minor erat Salomonis in
Matrem Bethsabeam veneratio;
ut conclaue Regium ingressa fuit
Bethsabea, surrexit illico in oc-
cursum Matris Salomon, et post-
eaquam multa illam cum venera-
tione consalutasset, iussit aliud
solium a dextris Regalis solii col-

locari , petentique Matri , ac ne confunderet orantis faciem postulanti , pete , respondit Salomon , pete Mater mea ! neque enim fas est , vt auertam faciem tuam . Quae cum audimus AA. an putamus minus gratiae apud DEVM Filium inuenturam Diuinam Matrem , quam seu apud Asuerum Coniugem Regina Esther , seu apud filium Salomonem Bethsabee . Mater inuenit ? praeferim cum Beatissima haec Virgo nihil a DEO petere soleat , nisi quod nouit cum illius gloria , et cum aeterna conditorum a DEO hominum salute consentire .

Soleo ego interdum Apostolorum , aliorumque Sanctorum hominum meminisse , quibus Diuina virtus eam potestatem contulit , vt prodigiorum , quae per illos patrata fuere varietate , numero ,

ma-

magnitudine terrarum orbem admiratione complerent. Videre mihi videor Petrum illum Apostolorum Principem , dum homini ab ipsa natuitate claudio gressum restituit ; dum Ananiam , et Saphiram, nefarii in Sanctum Spiritum mendacii reos, subita morte exanimatos efferri iubet : dum sanctae illi viduae Tabithae , et iam pauperum lacrimis deploratae vitam solo vocis imperio restituit. Versantur ante oculos tot a doemonibus , a quibus dire iactabantur , tot ab infirmitatibus , quibus misere premebantur, liberati ; et admirabundus ingentem illam hominum multitudinem intueor , quo conatu impositos lectulis infirmos in plateas certatim efferant, vt ad minus vmbra transeuntis Petri illos contingat , videoque , et obstupesco consanatos, quotquot vmbra

bra Petri contigisset. Quae dum cogito, dum admiror, vocem tenere non possum, quin exclamem: *ecce qualem potestatem dedit DEVS hominibus.* Quodsi autem tantum Diuinae gratiae munere potuerunt Apostoli, aliique Sancti, vos ipsi statuite AA. quid apud DEVUM Beatissima illa Virgo non possit, quae Sanctis omnibus virtute, gratia, meritis, et gloria longissime antecellit.

Nouerat hanc Diuae Virginis et magnitudinem, et potentiam primus ille nostrorum Regum Diuus Stephanus, qui posteaquam suos, DEIque hostes profligasset, et Rempublicam optimis legibus, ac saluberrimis institutis deuinxisset, et illa omnia, quae ad securitatem, salutemque Regni, atque Hungarae gentis attinere videbantur, mira sapientia, parique

que prudentia ordinauisset; vt huic
securitati, salutique perpetuam e-
tiam stabilitatem procuraret, an-
tequam diuitem ingentibus meri-
tis animam Coelo reddidit, Bea-
tissimae Virgini MARIAE vniuer-
sum Regnum obtulit, illam Domi-
nam, illam Reginam dixit: illius
patrocinio Hungariam, omnem-
que Hungariae populum toto ae-
stu piissimae voluntatis deuouit.
Ab eo inde tempore praeclara il-
la per Hungariam, et a maiori-
bus nostris nunquam intermissa
consuetudo inoleuit, vt Beatissi-
mam Virginem non alio, quam
Reginae Hungariae, Magnaeque
Dominae cognomento appellarent.
Et sensit patrocinium, et opem
Magnae huius Dominae, poten-
tiissimaeque Coelorum Reginae
Hungaria; sensit, quam felici con-

fi-

filio a Diuo Stephano eidem credita fuerit, ac donata.

Reuocate vobis paulisper in memoriam illa, quae inde a Sancti Regis Stephani obitu in Hungaria euenerunt. Multi Procerum, plures e populo falsorum numinum cultu ex illorum animis nondum penitus euulso ad pristinam impietatem redierunt: Aras euerterunt: Templa profanarunt: Sacerdotes, et Episcopos crudeliter occiderunt. Accedebat ad malorum cumulum infirma, et misere fluctuans Regni gubernatio: pulsus solio Petrus Diui Stephani successor, iterumque Aba depulso restitutus: accedebant auersi a Petro multorum animi; quid aliud portendere haec omnia videbantur, quam redditura iterum pristina gentilium Ducum tempora, et Catholicam fidem a stirpe euellen-
dam.

dam. Cogitate porro miserrima illa Belae Regis tempora, dum omne Regnum a Tartaris foede vastatum, atque in solitudinem conuersum fuit; quam illud facilis praeda fieri poterat vicinorum populorum. Et ne per multa progrediar, cogitate Mohaclianam illam cladem: extinctum in flore aetatis Regem: pereintos magna parte et Sacros, et profanos Proceres: plura centena hominum millia in dirissimam seruitutem abrepta: vicos, Oppida, vrbes, et in iis scholas, palatia, Templ a cineres redacta: dispersam studiosam iuuentutem: euacuata Monasteria: Episcopatus a profanis infessos: homines, qui sacra procurarent, vix vlos: occupatam a Turcis Budam: infessam eorum exercitibus maximam Hungariae partem: Proceres non concordes,
et

et in partes diuisos, aliis pro Ferdinandō, aliis pro Ioanne depugnantibus: Solimannum ad ipsa Viennae maenia iam progressum. Cogitate denique tempus illud, quo Turtici in Hungaria imperii limes haec ipsa vrbs Laurinensis fuit.

Quis vnquam sperare, nedum confidere potuisset, venturum aliquando beatum illud tempus, vt Hungaria depulso, eiectoque ex illa, quam late, longeque tenditur, immani hoste in libertatem vindicaretur? vt veteri squallore deposito ornatior etiam, atque venustior redderetur? vt scholae tot locis aperirentur? vt Oppida, atque vrbes populo auctae maiore cum decore consurgerent? vt palatia, et Templo augustiore mole ponerentur? vt non modo legitimis possessoribus Episcopatus red-

redderentur , sed noui etiam eri-
gerentur ? Ut vera fides refloresce-
ret ? et per omnes Regni partes
diffusa plurimos nunc etiam secta-
tores numeraret ? vt ipsa Regni
Constitutio a Diuo Stephano in-
troduceda per octingentos iam pro-
pe annos non violata ad nos trans-
mitteretur ? Cui autem post DEVM
haec omnia in acceptis referenda
sunt ? cui ? nisi Magnae illi Hun-
garorum Dominae : Beatissimae
illi Hungariae Reginae MARIAE
Virgini , quae Hungariam sibi a
Diuo Stephano oblatam , dona-
tamque non deseruit : illius patro-
cinium hoc Regnum tot malis e-
ripuit : illa hanc gentem , illa hu-
ius Regni constitutionem , illa ve-
ram fidem ab interitu vindicauit.
Agnouit istud iam olim Europa:
agnouere summi Pontifices : agno-
uit Leopoldus Primus Caesar : a-

E.

gno-

gnouere Principes alii : agnouit Hungaria , et nunc etiam quatenus incredula non est, gratissima cum recordatione agnoscit. Neque ego quidquam Hungariae , quidquam in Hungaria seu Regi, seu Reipublicae, seu ciuibus, seu bonis artibus, seu verae fidei metuendum esse affirmo, modo a collenda Sanctissima hac Virgine, ab ea tota cum fiducia inuocanda, ab eius honore, ac veneratione contento studio procurandis nos auocari non patiamur. Magna eius est apud DĒVM potestas : mira potentia ; nec minor in omnes bonitas , et clementia , vt opitulari omnibus pro sua potestate possit, et pro sua bonitate, et clementia prolixo velit.

Sentio AA. cum ad finem orationis tendendum esset, nouam mihi dicendarum rerum molem sub-

subnasci , et integrum quasi lau-
dationem inchoandam esse. Et ve-
ro quae tandem bonitati , et cle-
mentiae Beatissimae huius Virgi-
nis par venire oratio possit ? il-
lius Virginis , quae misericordiae
Dominum : quae DEVM illum ,
propterea hominem factum , vt
humanum genus peccato perdi-
tum ab interitu vindicaret , suo
sinu conclusit ; tam clementis , tam
misericordis Filii Mater non po-
test non esse clementissima. O cer-
te benigna est , ac misericors ,
quae saepenumero nec inuocata
calamitate pressos consolatur. Sen-
sere iam olim Maternam hanc e-
ius benignitatem in Cana Gali-
laeae vrbe conuiuae ; dum nuptia-
li adhuc mensae accumbentibus
vina deficerent. Non expectauit
piissima Mater , vt vel a sponsis ,
vel a sponorum parentibus , vel

Architriclino rogaretur : vt pri-
mum sponsorum, atque parentum
anxiā quamdam , et suffusam
rubore solicitudinem vedit, vt pri-
mum conuiuis deesse vinum anim-
aduertit , sponsorum rubori , et
solicitudini consultura vltro filium
alloquitur : vinum , inquit , non
habent ; fecitque carissimae Ma-
tris petitio, vt primo ad eam diem
prodigio , aquas in vinum Serua-
tor conuerteret. Si tam clemens
illa fuit , dum adhuc in viuis a-
geret, qualem nunc nunc illam pu-
tabimus , postquam in Coelos af-
sumta ad dexteram benignissimi
Filii gloria confedit. Quid mul-
tis opus ? est illa Mater DEI, est
Mater nostra ; nostra , inquam ,
est illa Mater.

Hic ego vos AA. pendenti in
cruce IESV Christo adesse, et iam-
iam moriturum intueri cupio, vt no-
stram

stram omnium felicitatem, et quod-dam veluti morituri IESV testa-mentum vestris ipsi auribus audia-tis. Pendet in cruce moriturus Do-minus: videt cruci adstantem ca-rissimam Matrem; videt adstan-tem illum discipulum, quem dili-gebat; ambos aspicit: et omnium, quae perpessus fuit, tormentorum oblitus, oblitus dolorum; quibus acerrime cruciabatur, tanquam nihil iam aliud agendum super-esse, quam ut humani generis felicitati consuleret, ad Matrem con-uersus Mulier, aiebat, ecce filius tuus! inde ad Ioannem: ecce Ma-ter tua! Felix Ioannes, qui ipsius aeternae veritatis ore Diuinae Ma-tris filius nominari meruit. Sed non minus felices nos omnes su-mus, qui in Ioanne mira Sancto-rum Patrum confensione Beatissi-mae huic Virgini, ceu filii a Chri-

sto commendati, donatique sumus.
Felices nos, ac vere beatos, qui
MARIAM nostram Matrem no-
minare possumus, adoptiui filii
tam bonae, tam benignae Ma-
tris.

O quis erit, qui hanc Matrem
tam bonam, tam benignam non
amet? quis erit, qui tota illam a-
nimi sui dilectione non prosequa-
tur? quis erit, qui tota illam cor-
dis, viriumque contentione non
veneretur? quis erit, qui se to-
tum Diuinae huius Virginis glo-
riae, cultuique prouehendis non
addicat? quis erit, qui tota ad
hanc Diuinam Matrem cum fidu-
cia non accurrat? Adeste infirmi,
ac debiles, adeste moesti, et affli-
cti, adeste miseri, quacunque de-
mum calamitate oppressi; haec
est Mater Omnipotentis DEI, haec
est Mater vestra: clemens illa,

at

atque benigna Mater ! effundite
 in conspectu illius vestras preces :
 orate , vt has illa dulcissimo suo
 filio repraesentet ; nolite dubitare ,
 vos ea , quae petitis , obtenturos ,
 modo petitio vestra a salute vestra-
 rum animarum , a Diuina gloria
 non dissentiat . Adeste vos etiam
 peccatores , nolite metuere , noli-
 te expallescere ; peccatorum quo-
 que illa Mater est , quicunque ad
 Coelestem Patrem reuerti statue-
 runt . Petite lacrimarum donum ,
 vt peccata vestra abluatis : petite
 verum , ardentemque dolorem ,
 quo impietatem vestram defleatis :
 petite robur , vt vestra delicta ,
 et si grandia , et si nefaria , et si tur-
 pissima sincera confessione elua-
 tis : petite Sancti Spiritus gratiam ,
 ut tentantem vos mundum , car-
 nem , atque diabolum debellare
 possitis : vt in prioris vitae turpi-

tudinem infelici cursu non redeatis. Audiet omnes Optima Mater: audiet, quae suum Filium imitata, nihil tam ardenter cupit, quam aeternam nostrum omnium felicitatem, atque salutem. Credite verbis meis: idem est meus de bonitate, et clementia MARIAE Virginis, qui Catholicae Ecclesiae sensus.

Illam Catholica Ecclesia Misericordiae Matrem vocat: illam vitam, dulcedinem, ac spem nostram nominat: illam aduocatam dicit, et ut misericordes illos suos oculos ad nos conuertat, vt IESVM benedictum sui ventris fructum nobis post hoc exilium ostendat, deprecatur: illam piam, illam dulcem MARIAM Virginem confitetur. Par est in laudanda Diuinae huius Virginis benignitate Sanctorum Patrum ardor, et

con-

consensio. Illam S. Augustinus peccatorum spem, S. Irenaeus aduocatam, patronamque, S. Epiphanius Matrem viuentium: illam S. Germanus Constantopolitanus Praeful vitae signum gloriofis appellant nominibus; de illa vel dum cogitat S. Ioannes Damascenus mira animum perfundi voluptate sentit. Illa S. Anselmo certissimum est, quidquid exorare velit, perfugium; de cuius denique benignitate, et clementia tanta est opinione S. Bernardus, ut sileri ab eo misericordiam Virginis velit, qui illam in necessitatibus inuocatam sibi meminerit defuisse.


Beatos nos AA. qui hodiernae tam magnae, tam potentis, et vna tam bonae, clementisque Virginis saeculari solemnitati adesse, eamque nobis in hac Sacra Imagine praesentem deuenerari

possimus ! beatos nos , qui tam
pretiosum thesaurum , nulloque
alio redimendum, haec intra mae-
nia , hoc in Templo possidemus !
beatos nos , qui cum sacris illis
lacrimis , miroque cruori , dum
illum Diuina haec Virgo fudit ,
adesse non potuerimus , saeculari
illius gloriae , ac triumpho praes-
entes sumus ! Felix hodierna dies ,
aeternisque Cathedralis huius Ec-
clesiae fastis inferenda. Donec Sa-
cra haec aedes stabit , donec suus
Diuorum cultui honor erit , donec
Catholica fides perdurabit (per-
durabit autem certe Diuina haec
fides , contra quam ipsius aeter-
nae veritatis testimonio nec ipsae
portae inferi praeualebunt) vige-
bit et prodigiosi huius cruoris , et
hodiernae solemnitatis memoria ,
nec vlla vel incredulitas , vel im-
pietas huius aut facti , aut diei

glo-

gloriam obscurabit. Vos A.A. mei,
dum hodiernae diei , aut potius
dilectissimae DEI, vestræque Ma-
tris triumpho applauditis , exci-
tate, excitate quæso in vobis ve-
terem illam Hungarorum in MA-
RIAM pietatem, qua illi Magnam
hanc Dominam , hanc Reginam
Hungariae coluerunt. Dicite vos
Magnæ huius Dominae seruos ;
dicite vos huius Reginae subdi-
tos, idque ipsis operibus approba-
te; non recedat illa ab ore ve-
stro , non recedat a cordibus : e-
stote probi, estote amantes, timen-
tesque DEVVM tantæ Matris filii :
huic vos ipsos , vestræque omnia
deuouete. Illa sit vestrarum cura-
rum praecipua , vt omnipotentis
DEI, eiusque Filii IESV Christi ,
vt Beatissimæ huius Virginis cul-
tus, veneratio gloria nouis quoti-
die accessionibus augeantur.

Tu



Tu Piissima Mater, et Virgo flecte misericordes illos tuos oculos, qui ante centum annos mixtas prodigioso cruori lacrimas effuderunt, flecte inquam illos oculos in Hungariae Regnum: deprecare dilectum Filium tuum, vt ab hoc Regno pestem, famen, ac bellum, aliasque poenas, quas peccatis nostris commeruimus, longe auer-
tat: vt apud Hungaram gentem fidus in Regem amor, morum pro-
bitas, et castimonia, catholicae fidei studium ac in DEVM vene-
ratio quotidie luculentius efflo-
scant. Flecte pios oculos in Augu-
stum Regem nostrum, eiusque Au-
gustam Coniugem, ac liberos, to-
tamque Regnantem Domum, vt
Optimus Princeps pietati, virtuti,
catholicae fidei toto animo dedi-
tus, in seram aetatem tradita si-

bi

bi a DEO Regna , et prouincias
feliciter moderetur. Adde vires ,
animos, felicitatem Regio Princi-
pi Carolo, caeterisque Ducibus ,
ac militibus nostris, qui DEI, no-
strique causa depugnant ; discat
tandem hostis ille , qui suis tan-
tum viribus confidit , frustra esse
contra Dominum omnia consilia ,
pessumque ruere quamcunque for-
titudinem, nisi Diuina ope fulcia-
tur. Respice hanc etiam Iaurinen-
sem vrbem , vt tuo cultui dedita,
Diuinisque paeceptis obediens ,
et a morum corruptelis procul se-
mota , ab incendiis , terraemotu ,
peste , ac fame , aliisque Diuinae
iracundiae flagellis liberetur. Re-
spice in nos omnes , qui te nobis
in hac Sacra Imagine praesentem
suppliciter inuocamus : impetra
nobis Spiritum amoris , timoris-
que Domini : Spiritum verae poe-
ni-



nitentiae , et beatam post hanc
vitam aeternitatem. Oramus de-
mum Misericordiae Mater, vt e-
tiam impios , et incredulos, si ad
te, Filiumque tuum reuerti volue-
rint , a materno sinu tuo non re-
pellas : fac vt tandem oculos ve-
ritati aperiant ; vt agnoscant, pru-
dentem esse cultum, quem in hac
Imagine propterea tibi deferimus,
quod prodigioso illa cruore ima-
duit ; vt agnoscant, salutarem es-
se cultum , quem in hac Sacra I-
magine tibi dependimus , tametsi
prodigioso illa cruore non maduif-
set. Amen.

O. A. M. D. G. B. V. M. H.

